

CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

LENT TERM, WEEK 7

1. Translate:

Sex at midday.

aestus erat, mediamque dies exegerat horam;
adposui medio membra levanda toro.
pars adaperita fuit, pars altera clausa fenestrae;
quale fere silvae lumen habere solent,
qualia sublucent fugiente crepuscula Phoebos,
aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.
illa verecundis lux est praebenda puellis,
qua timidus latebras speret habere pudor.
ecce, Corinna venit, tunica velata recincta,
candida dividua colla tegente coma –
qualiter in thalamos famosa Semiramis isse
dicitur, et multis Lais amata viris.
deripui tunicam – nec multum rara nocebat;
pugnabat tunica sed tamen illa tegi.
quae cum ita pugnaret, tamquam quae vincere nollet,
victa est non aegre proditione sua.
ut stetit ante oculos posito velamine nostros,
in toto nusquam corpore menda fuit.
quos umeros, quales vidi tetigique lacertos!
forma papillarum quam fuit apta premi!
quam castigato planus sub pectore venter!
quantum et quale latus! quam iuvenale femur!
singula quid referam? nil non laudabile vidi
et nudam pressi corpus ad usque meum.
cetera quis nescit? lassique requievimus ambo.
proveniant medii sic mihi saepe dies!

(Ovid)

2. Prepare:

A naked wrestling match.

o me felicem! o nox mihi candida! et o tu
lectule deliciis facte beate meis!
quam multa apposita narramus verba lucerna,
quantaque sublato lumine rixa fuit!
nam modo nudatis mecum est luctata papillis,
interdum tunica duxit operta moram.
illa meos somno lapsos patefecit ocellos
ore suo et dixit 'sicine, lente, iaces?'
quam vario amplexu mutamus bracchia! quantum
oscula sunt labris nostra morata tuis!
non iuvat in caeco Venerem corrumpere motu:
si nescis, oculi sunt in amore duces.
ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena,
cum Menelaeo surgeret e thalamo;
nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
dicitur et nudae concubuisse deae.
quod si pertendens animo vestita cubaris,
scissa veste meas experiere manus:
quin etiam, si me ulterius provexerit ira,
ostendes matri bracchia laesa tuae.
necdum inclinatae prohibent te ludere mammae:
viderit haec, si quam iam peperisse pudet.
dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore:
nox tibi longa venit, nec reditura dies.

(Propertius)

3. Optional extra:

On Cerinthus' birthday, Tibullus makes a prayer to Cerinthus' birth spirit (= Genius), hoping that his feelings for the young man may be reciprocated.

qui mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus
atque inter festos semper habendus erit:
te nascente nouum Parcae cecinere puellis
seruitium et dederunt regna superba tibi.
uror ego ante alias: iuuat hoc, Cerinthe, quod uror,
si tibi de nobis mutuus ignis adest;
mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
perque tuos oculos per Geniumque rogo.
mane Geni, cape tura libens uotisque faueto,
si modo, cum de me cogitat, ille calet.
quod si forte alios iam nunc suspiret amores,
tunc precor infidos, sancte, relinque focos.
nec tu sis iniusta, Venus: uel seruiat aequè
uinctus uterque tibi uel mea uincla leua;
sed potius ualida teneamur uterque catena,
nulla queat posthac quam soluisse dies.
optat idem iuuenis quod nos, sed tectius optat:
nam pudet haec illum dicere uerba palam.
at tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
adnue: quid refert, clamne palamne roget?

(Tibullus)